Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26831
Copyright: Admont, Benediktinerstift

locum clauorum, et cicatrices eius tetigerunt. Et prebuit se ex tempore palpandum manibus hominum, qui semper se prebet uidendum aspectibus angelorum. Et palpauit ille discipulus et exclamauit. Dominus meus et deus meus. Quia tetigit hominem, confessus est deum. Et dominus consolans nos qui Christum iam in celo sedentem manu contrectare non possumus sed fide contingere, ait illi. Quia uidisti me credidisti, beati qui non uident et credident. Nos descripti sumus, nos designati sumus. Fiat ergo in nobis beatitudo, quam dominus predixit. Firme teneamus quod non uidemus, quia illi nuntiant qui uiderunt. Ut et uos inquit societatem habeatis nobiscum. Et quid magnum societatem habere cum hominibus? Noli contempnere, uide quid addat. Et societas nostra sit cum deo patre et Ihesu Christo filio eius. Hec inquit scribimus uobis, ut gaudium uestrum sit plenum. Plenum gaudium dicit in ipsa societate, in ipsa unitate, in ipsa caritate. Et hec est inquit annuntiatio quam audiuimus ab eo, et annuntiamus uobis. Quid est hoc? Ipsi uiderunt et contrectauerunt manibus uerbum uite. Ab initio erat, ad tempus uisibilis et palpabilis factus est unicus filius dei. Ad quam rem uenit, uel quid nobis noui nuntiauit? Quid docere uoluit? Quare fecit hoc quod fecit ut uerbum caro fieret, ut deus super omnia indigna ab hominibus pateretur, ut alapas eorum sustineret de manibus quas ipse formauit? Quid uoluit docere? Quid uoluit ostendere? Quid uoluit annuntiare? Audiamus. Nam sine fructu percepti auditio rei geste, quia natus est Christus et quia passus est Christus, auocamentum mentis est, non firmamentum. Quid magnum audis? Quo fructu audis? Uide quid uoluit docere, quid annuntiare. Audi. Quia deus lux est inquit, et tenebre in eo non sunt ulle. Adhuc lucem quidem nominauit, sed obscura sunt uerba. Bonum est nobis ut ipsa lux quam nominauit illustret corda nostra, et uideamus quid dixit. Hoc est quod annuntiamus, quia deus lux est et tenebre in eo non sunt ulle. Quis enim auderet dicere quia in deo sunt tenebre? Aut quid est ipsa lux? Aut quid sunt tenebre? Ne forte talia dicat que ad oculos istos pertineant. Deus lux est. Ait nescio quis. Et sol lux est, et luna lux est, et lucerna lux est. Aliquid esse debet longe his maius, longeque prestantius, longe supereminentius, quantum deus a creatura, quantum conditor a conditione, quantum sapientia ab eo quod factum est per sapientiam. Longe ultra omnia debet esse lux ista. Et forte uicini ei erimus, si que sit lux ista cognouerimus et ad eam nos applicauerimus, ut ex ipsa illuminemur, quia in nobis tenebre sumus, et ab illa illuminati possumus esse lux, et non confundi de illa quia de nobis confundimur. Quis est qui de se confunditur? Qui se cognoscit peccatorem. Quis de illa non confunditur? Qui ab illa illuminatur. Quid est ab illa illuminari? Qui iam uidet se peccatis tenebrari et cupit ab illa illuminari, accedit ad illam. Unde dicit et psalmus: Accedite ad eum et illuminamini, et uultus uestri non erubescent. Sed non erubesces de illa, si quando tibi te fedum ostenderit, displiceat tibi feditas tua, ut percipias pulchritudinem ipsius. Hoc est quod uult docere, et fortasse preproperpere illud nos dicimus; ipse hoc manifestet in consequentibus.